

052

050

056

046

061

041

101

001

151

551

Ende

Anfang

41

novae, et magna erat ibi hominum frequentia. Dixerunt autem nobis Mamaluci, quod ante quinquennium non fuerit ibi una domus, sed nemus arundinum et arbustorum, per quod erat via in superiorem urbem Babyloniam, in qua quotidie plures spoliabantur a latronibus, et mulieres (**89 a**) opprimebantur; quae propter Soldanus in loco domum magnam aedificari fecit pro tutela viae, et in ea Mamalucum custodem posuit. Porro locus coepit pluribus placere, qui etiam sibi ibi habitacula aedificavere, et ita quasi subito est ibi facta hominum commoratio, quae si esset apud nos, magna civitas reputaretur. Extra hoc forum egressis demonstrata fuit nobis una grandis et pulchra domus, sita super litus Nili, quam dicunt esse habitationem dominarum Nympharum, in qua dum noctibus per loca emigrant, hic in hac domo conventionem habent, sibique eum appropriarunt, nec aliquem sinunt in ea habitare, sicut saepe probatum est. Nam dominus loci, in cuius praedio domus est, qui eam aedificari sibi fecit, dum supellectilem suam et omnia quae habebat in eam transtulisset, prima nocte venit tumultus foeminarum magnus ad domum, ad quarum adventum omnes serae ostiorum fuerunt soluta, et invisibiliter per omnia habitacula discurrerunt cum ingenti strepitu, et omnia, quae fuerant illata in domum, per fenestras ejecerunt, sed homines non contigerunt. Secunda nocte, cum homo cunctas res reportasset in domum, venerunt iterum Nymphae cum majore strepitu, et omni supellectili ejecta ipsos homines vi extruserunt sine noctumento cujuscumque. Homo autem finem hujus rei videns, et audacia se phantasmata vincere putans omnia reportavit in domum. Tertia autem nocte venit foeminarum turba cum horribili strepitu et omnia tam res quam homines rejecerunt et cuilibet noctumentum aliquod intulerunt: aliqui fuerunt excoecati dextro oculo, aliqui sinistro, aliqui fuerunt auditu privati, aliqui claudi facti etc. Timens autem homo, ne tandem vita privaretur, aliam conduxit domum pro se, illam vero alteri locavit, cui per omnia contigit sicut de primo dictum est, et ita pluribus contigit, quibus domus illa locata fuit. Sieque a multis annis stat domus vacua diebus quidem, sed non noctibus, singulis enim noctibus audiuntur in ea voces mulierum canentium. Inde nonnulli potius credunt domum hanc novem Musis, Jovis et Memoriae filiabus, consecratam, quam filiabus Nerei et Doris, cohorti Nympharum; Musae

